

trinitatis et firmitatem individue unitatis. Et rationem redderes, cuius multam copiam tum ex divina in te effusa gratia tum ex sanctorum patrum scriptis habes, quomodo ad solum filium pertineat incarnatio, et quod<sup>1</sup> necesse fuerit eum incarnari. Et evidenti designatione temporum et principum obstrueres os eiusdem iniqui Iudei, qui illam prophetica sententiam 'non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femoribus eius, donec veniat, qui m.<sup>2</sup> est', in domino nostro Iesu Christo veraciter completam, impie impatiens asserere nititur ante adventum eius diu fuisse completam, quia multis ante annis sceptrum et ducem filii Israel non habuerunt, et ideo quem suscipimus eum non esse, de quo hæc scriptura predixerat.

---

1) Hs. 'quid'.

2) D. i. 'mittendus', wie Genesis 49, 10.

---